Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30305
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

di reuerentissimus gaius maximo ut fertur ductus amore uisendi. magnificum apostolorum principem Petrum, et sui quondam magistri barnabe collegam, et gentium lumen Paulum seu etiam conferende gratie predicationis sue cum clemente sanctissimo. ceterisque apostolorum pedissequis, anno episcopatus sui .v. qui erat neronis ultimus, ad urbem romuleam hoc est ad genitalem patriam fertur tramitem direxisse. Cum ecce in medio fere itineris sensit per spiritum eos quorum maxime anhelabat desiderio inmanissima cesaris atrocitate recens fuisse peremptos. Concidit illico, obortisque lacrimis grauiter ingemuit. Cumque interrogaretur a commeantibus quam ob causam ita fleret. heu proh dolor inquid gemina hodie toci orbis luminaria neroniana extincta rabie. romana tellus intercipit. Et nisi subueniat omnipotentis maiestas, cunctis iam nunc per orbem xpicolis diuersissimas cesar impiissimus calamitates irrogare incipiet. Properemus ergo quantocius. et eorum si forte super terram inhumate condignis sarcophagis reliquias inuehamus. Sin uero condite fuerint. saltem uenerandis tumulis supremum flebiles redhibeamus honorem. Atque utinam nos supra eorum sacratissima busta hostilis inueniens mucro obtruncare non differat. ut uel in extrema triumphi eorum sorte participes inueniamur. Hec effatus ubertate lacrimarum estuantia labia irrigabat. Non iam diutini laboris non pedestris reminiscens itineris, die tandem octauo romam cum sociis attigit. Ubi resalutatus a fratribus de glorioso confestim apostolorum excessu perquirere, uel quid de eorum sacratissimis corporum margaritis fecerint anxio nimis pectore sciscitari cepit. Certiusque rei geste textum comperit, qualiter cesar nefandissimus uniuersorum cruciatuum spiculatoris gladio addixerat, quin et eorum deo dicatas exuuias. die quo eos ex hac uita migrare contigit. diligenti cura fuisse reconditas. Conferens ergo cum clemente et aliis beatorum apostolorum uicariis doctrine sue tenorem, aliquanto tempore cum ipsis fuit. Qui licet clanculo ob perfidorum insidias euangelicis predicationibus quibuscumque poterant persuadebant. tamen cruentes animas multorum de manibus principis tenebrarum. filios lucis derelinquo statuebant. Sed ut pauca de neronis crudelitate subdam, exaggeranda impietatis sui ... e magnitudinem sue nequitie, per unamquamque prouinciam direxerat presides, ut xpiani nominis cultores, uario penarum genere dissiparent. delerent atque perimerent. In quibus anolinus uelut capitaliorem pestem secundi ceruum sibi esse precepat. data illi in xpianos consulari infula. quatenus ytalicarum partium potestatem accipiens, xpiane secte et nominis radicitus euelleret. et germen disperderet, ita ut nec uestigium aliquid de eo sub astris remaneret. Mox namque ut mediolanium metropolim ytalorum intrauit. iussit diligenter inuestigari. si qui ibi de ex hac superstitiosa secta magistri aduenissent. Responsum est illi, abeditus quod multi essent etiam ex primatibus qui nec diebus nec noctibus abstrusissimi doctrinis cessare uellent, persuadentes populo ut derelicto deorum cultura in hominem quendam nazareum qui dicitur credere debeant. adeo ut non parua tam nobilium quam uulgi multitudo consenserit. Quapropter nisi tua eos inquirunt preses optime industria reuocet. totas ad suam perfidiam italie contrahabunt regiones. Et quis post hac diis patriis ac diuinis subueniet legibus. Missis ergo satellitibus extimplo, rapuerunt generose indolis uiros, et pubescenti forma nitidos, alios artissime tradentes custodie, alios inaudita seuicia iugulantes. Nulli humani uisceris miseratio, nulla sexus etatisque discretio, cunctos passim xpi nominis confessores, ferro, flammis, flagellis, et eculeis. ubique laniantes, et semiusta bestiis cadauera adescam sub nudo aere linquentes. Inter multos autem qui eisdem temporibus in xpi exercitu ad mortem usque certarunt, beatissimos extitisse germanos comperi, prothasium uidelicet atque geruasium sacratissimos martyres domini. Nam pater ipsorum cuius supra memini sanctus uitalis fortissimus atleta xpi. iam dudum pro xpi confessione diuersa per supplicia triumphalem adeptus fuerat palmam. Mater quoque deo deuotissima ualeria simili exitu mortem commutauerat in gloriam. Horum ergo ut dicere cepam parentum beatissimorum gloriosum filii in nullo degeneres exemplar secus neroiani pluries constantissimi uictores effecti sunt. Nec plumbatis cedi, nec eculeo torqueri sat fuit, nisi etiam capud spiculatori pro capite martyrum. xpo gratanter offerrent. Eodem fere tempore et alii quam plurimi. iam tum milites xpi.

De crudelitate Neronis.

In ista persecucione sancti Geruasius et Prothasius et multi alii passi sunt.